



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XII. Alia ante Sessionem quintam acta de Vulgata editione, &  
Concilij libertate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1546.

lariam, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrinâ probati, etiam quo-  
rumlibet priuilegiorum prætextu, in sua Ciuitate vel Diœcesi predicare per-  
mittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consul-  
atur; à qua priuilegia huiusmodi, nisi tacitâ veritate, & expresso mendacio  
ab indignis extorqueri verisimile non est.

Questores Eleemosynarū, qui etiam Questuarij vulgo dicuntur, cuius-  
cumque conditionis existant, nullo modo nec per se nec per alium predicare  
præsumant, & contrà facientes ab Episcopis & Ordinariis locorum, priuile-  
giis quibuscumque non obstantibus, opportunis remedii omnino arceantur.

Huius Decreti initium erat: *Questores prauum hominum genus.* Sed  
ea appendix deleta; cùm indecorum vilum sit, vniuersam eorum  
hominum conditionem incusare, qui artem de se non improbam  
profittentur; & quæcumque hominum communitas nescio quid  
venerationis præ se ferat, cuius gratiâ nulli prudentium asper-  
nabilis.

## C A P V T XII.

*Alia ante Sessionem quintam acta de Vulgata editione,  
& Concilij libertate.*

**H**ec erant parata Sessioni Decreta. Intereà Pontifex iusserat  
à delectis viris Romæ rationes expendi, quibus Legati De-  
cretum de Vulgata editione sustinebant: & quamquam va-  
lidæ viderentur, excitatasque prius obtrectationes comprimerent;  
tamen in re tanti ponderis aliiquid dubitationis adhuc Romæ subsi-  
dit. <sup>a</sup> Quare Farnesius prius scripsit, in præterito congressu ali-  
quantulum homines delectos habuisse, adeoque in sequentem deli-  
berationem negotium fuisse reiectum. Hac dein habitâ, significavit  
<sup>b</sup> idem Legatis, duos adhuc superesse scrupulos: Alterum, quod in  
Decreto appositum fuisse anathema: Alterum, quod errata qua-  
dam difficulter possent verti diligentia scribarum aut typogra-  
phorum, seu temporum vitio. Quæ cùm ita essent, probari qui-  
dem, vt sacra Biblia ex ipsorum Decreto de nouo quam emendatissi-  
ma typis ederentur, ad quod Pontifex omnem de se opem polli-  
cebatur; sed totum id minimè satis fore censeri. Etenim vel sola  
menda expurganda erant, quæ scriptio vitio & iniuriâ temporis  
irreperant; & quâ ratione possent fideles adigi ad huiusmodi transla-  
tionem excipiemad iis in locis, vbi ea originariam locutionem,  
Græcam & Hœbraicam, minus propriè in Latinam transfert? Vel  
eradenda quoque erant secundi generis menda; & res in immensum

S l l l 2

nodo-

<sup>a</sup> Literæ  
Farnesij ad  
Legatos,  
13. Maij.  
<sup>b</sup> Literæ  
Farnesij ad  
Legatos,  
23. Maij  
1546.

1546. nodosumque laborem itura esset: idcirco Legatis iniungi, ut quid expediret, ipsi excoxitarent.

Rescripserunt, Consilium Pontificis a se commendari de sacris Voluminibus quamprimum emendatissime imprimendis, & corum qui Concilio aderant operam atque industriam offerri. Adicere, Ad causam Decreti sustinendam omnino illud omitti non posse, cum cunctis Patribus inuitis, cunctisque Theologis dissentientibus: ac breui euenturum, ut quemadmodum essent vera Biblia, ignoraretur, totorum interpretationes fuisse iam typis impresas, torque in dies imprimi, varias inter se in plurimis rebus grauissimis, apertissimeque ad fouendas nouas haereses, aliasque pariter excitandas: contra vero Vulgatam numquam haeresis fuisse suspectam, cuius rei possimam in sacris Libris rationem habendam. Quod spectabat ad errores obiectos, ex Hebraicis seu Gracis exemplaribus; quod illa erant emendatoria, eò magis comprobata ex iis agnoscendi versionem Vulgatam. Quod spectabat ad ea, quae putabantur in Vulgata obscenae, inepte, barbaræ ac perplexè dicta; nemini interdictum, quin ea declararet, illustraretque seu per interpretationem, seu per adieciendas notas, seu per nouam expositionem. Quod si iij, quibus forma Decreti molestiam exhibebat, loca illa adnotassent sibi plurimum displicentia, natu ratos fuisse operam Praesides, ut ipsis satisficerent: quod si minus id succederet, aliâ viâ consulturos. Sic à Legati responsum.

At cui stomachum non moueat maligna Suavis oppositio, quod non modò rei veritati in enarrando, sed simul sui sensus explanationi in iudicando repugnat, quod semper sibi conicit in calumnias probisque ingependit? Quod ad rem attinet, inducit hic datum Romanum ad Legatos indicatum, ut eo negotio supersederent. Merum plane commentum. Quod spectat ad animi sui sensa; vbi narrant habitam Tridenti Vulgatae comprobationem, seu inconfideratam reprehendit ob tantæ rei grauitatem, obiectorum arduitatem, Patrum & Consultorum infrequentiam. At qui nunc, Pontifice rem pedetentim ac per noua consilia perpendente, aliquam tertè à Suavi illius commendationem expectabamus, quasi corrigentis id quod Suavis ipse in Tridentinis Patribus exprobrarat, contrà ille in hoc epiphonema prorumpit: *Huiusmodi erat libertas Concilij.* Eorum igitur Decretorum legitimus censor ac iudex Suavis fuit; Pontifex non fuit? Illi ea damnare; huic ne recognoscere quidem licet? Quidnam sonat Suavi libertas? num potestas conficiendi Decreta ab omni Pontificis directione soluta? An ille ignorat, huiusmodi

potest?

potestate apud Catholicos non modò non corroborari , sed perfringi quodcumque Conciliorum Decretum ? Potuisset atramento parcere in hoc veluti arcano retegendo, nimirum, non fuisse Tridentino Concilio hanc libertatem : Romanus Pontifex , vniuersa Ecclesia, ipsum Concilium hoc profitentur. At si libertas significat rationem agendi nullâ vi coactam , obtemperandiisque suo legitimo Principi ; quam huiuscet libertatis violationem obtrudere potis erat Suavis, exercitam à Pontifice in Concilio Tridenti celebrato , hoc est, in alterius Principis ditione, ab Ecclesiastico dominatu seposita, Germania finitima, absque Pontificis militari praesidio, ac denique eiusmodi, ut Legatis in ampla potius honestaque custodia , quam in libero domicilio degere videretur ? Et sanè ex usitata ratione , quā ibi Patres loquebantur, sententiasque dicebant, argui potius licet, haud libertatem quidem Synodo defuisse , sed licentiam abundasse. Quamquam autem hæc Pontificis auctoritas non adhibita armorum robore, sed iurisdictione pacifica sponte ab Episcopis obsequenterque suscepta, Concilio vigorem estimationemque addat potius quam demat; tamen quò liqueat, hac ipsâ iurisdictione quam suauiter Pontifex sit usus , rem gestam subiiciam , quam narrat eadem <sup>\*</sup> epistola Farneiana ad Legatos, de qua h̄ic sermo est. Indicauerant illi Pontifici, quid statuendum de prælectionibus concionibusque parabatur : cumque id Romanæ trutinæ fuisse commissum, & varij varia super eo, ut solet, animaduertissem; ea omnia Pontifex Legatis communicauit: sed hac additâ declaratione , id agi non ut imperaret, sed admoneret, & quo complurium iudicio perspecto possent quid optimum esset statuere. Pressius rem urgebo, Quæro : Potuitne Suavis per cunctas nequitiae suæ technas nancisci , imò comminisci unum dogma Tridenti stabilitum, non inquam imperante , sed instante ac persuadente Pontifice ? Minime vero. Igitur quidquid ibi Fide credendum sanctum est , ita liberè Concilium egit, ac si nullus existeret Pontifex: quare nihil hinc peti potest coloris, vel umbræ, quibus Tridentinæ sanctiones insificantur. At quorundam mentes, qui terreni omnino sunt , terrenorum etiam naturam induunt oculorum , qui à summo rerum adspectabilium candore lœduntur & obcaecantur.

\* 25. Maij,  
quam ipsi  
acceptam à  
se facientur in  
predicta re-  
spōsitione,  
4.Iunij.